



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Disc. XXXIII. Apotheca instructissima. Maria sanat & curat omne, quod infirmum, aut languidum dici potest.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

DISCURSUS XXXIII.

*Apotheca Christi Medici Virgo Maria est,
Salus infirmorum.*

Medici partes egisse Christum in terris, & non solum Exordium. animabus, sed & corporibus miserorum, ac languidorum, salutem contulisse, experti sunt omnis generis infirmi, & humanâ aliâs ope incurabiles, quibus hic medicus cœlestis, aliquando etiam non rogatus visum, auditum, gressum, loquelam, sanitatemque penitus restituit, quin & unâ à peccatis integrè absolvit, sicque duplicem *salvatoris* titulum jure obtinuit, cujus proinde laus est in Evangelio lætâ populi acclamatione prolata. *Benè omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.* Marci. 7. cap. Cui non ingratus se jungit S. Augustinus. serm. 9. de Verbis Apostoli. *Magnus de celo venit medicus, quia magnus in terrâ jacebat agrotus.* Sed nec sua magno huic cœli medico deest apotheca, de quâ ægrotantibus in terrâ, salutaria reliquit medicamenta, apotheca hæc Virgo Maria Dei Mater est, cujus invocata intercessio est efficacissima, & contra omnes etiam incurabiles morbos salutaris, nec est excogitabilis infirmitas, contra quam vel solum Mariæ nomen non sit antidorum, à Spiritu sancto specialiter præparatum, vel ipsa etiam implorata Virginis protectio salutare in ægri tudinibus medicamentum, quo vicibus innumeris, simul animæ salus, & corporis sanitas desperata à medicis, per Mariam efficaciter obtenta est, ut proinde & ipsa duplici titulo, *salus infirmorum*, ab Ecclesiâ recolatur. Quamvis autem ubique terrarum, nempe Laureti in Italiâ, Cellæ in Styriâ, Oettingii in Bavariâ, Passavii in Austriâ, quin & in aliis sexcentis celeberrimis locis sine numero jurata hujus veritatis extent testimonia, Virginiem

- nem Deiparam, salutem infirmorum grato animo recognoscere, nos tamen sub hoc eodem titulo, auctoritate SS. Patrum consolatè eam venerabimur. *Apotheca Christi medici est Maria*, inquit Richardus à S. Laurentio. lib. 10. Et iterum lib. 4. de Laud. B. V. *Maria est specialis apotheca ipsius Spiritus sancti, qui dulcedo Patris & Filij proprie nominatur; sicut enim picis contenti electuarij odorem retinet & saporem, sic Spiritus beatae Virginis, Christi dulcedinem, qui in ejus ventre novem mensibus requievit.* De ipsâ Virgine testatur S. Petrus Damianus. Orat. 2. de Dormit. Virg. *Ego quasi officina medicina egrotantibus, ego fons perennis curationum, ego contra demones remedium, ego civitas refugij omnibus ad me confugientibus.* Marianè perorat S. Joannes Damascenus. Orat. de Nat. B. V. *Ille est afficiens medicinam universo orbi, est fons, qui omnem naturam morbo laborantem in sanitatem restituit.* lacteè dicitur S. Bernardus. *Nomen Mariae est, quod dedit cecis visum, surdis auditum, claudis gressum, sermonem mutis: deinde si qua infirmitas tibi, vel tuis occurrit, non spero remedio corporis, aut naturali, recurre ad invocationem nominis Mariae.* Seraphice scribit S. Bonaventura in Stim. diu. amor. part. 3. cap. 19. *Non est in hac vitâ quis adeò desperatus, adeò miser, cui non impetres misericordiam salutarem, si ad tuum declinaverit regimen.* Doctissimè concludit Idiota, de Contemplat. B. V. *Non est in ullo alio nomine post nomen superbenedicti Filij tui tam pretens adjutorium, nec est ullum aliud nomen datum sub caelo hominibus post dulce nomen Jesu, ex quo tanta salus hominibus refundatur, quia super omnia Sanctorum nomina, reficit lassos, sanat languidos, illuminat caecos, penetrat duros, recreat fessos, ungit agonistas, & jugum diaboli extrudit.* Antidotum ergo, medicamentum, & Salus infirmorum est Virgo Maria, gratiam Spiritus sancti nobis impetret, ut Conceptibus eam pie meditemur.

Confirmatio, seu Deductio.

CONCEPTUS I.

Nomine Virginis Deiparæ canit Psalter regius Psal. 110.
Dile-

Dilectus quemadmodum filius unicornium. Quis Mariæ dilectus fuit, nisi Unigenitus Dei & Mariæ Filius Iesus Christus? Si ergo Christus Filius unicornis est, per consequens Maria Virgo ejus Mater unicornis erit: unde hæc similitudo? observant medici, ac Naturalistæ, quòd unicornis sit nobile antidotum, & contra omnes morbos venenatos saluberrimum medicamentum. Tam potens est Virginis Dei Matris apud Filium suum intercessio, ut grassantes etiam pestilentia ad imploratam ejus instantiam continuo cessaverint, rosa ista sine spinâ, contra pestem medicina est salutaris, vera itaque unicornis. Antidotum & medicamentum contra pestem fuit Virgo Maria Romæ Urbi, in quâ Anno Domini 590. pestis adeò terribiliter grassabatur, ut mille quotidie personas hominum avulserit, donec Gregorius piæ memoriæ Pontifex, Pelagii successor, Mariæ majoris effigiem, cohortato ad invocandam Dei Matris opem populo, processionaliter circumtulit, sub quâ Deo & Mariæ acceptâ devotione visus est Angelus supra molem Hadriani stans, gladium recondere in vaginam, & placatam Numinis iram demonstrare, atque ex instanti pestis ipsa subsidio piæ Matris averfa est; dicat nunc placatus Mariæ Filius: *Dilecta mea quemadmodum unicornis.* & subscribat Mariano suo calamo S. Joannes Damascenus. de Laud. V. *Nulla pestis tam potens est, qua invocato Mariæ nomine non cedat, Virgine intercedente non desinat.* Contra pestem igitur cœlesti antidotum Virgo Maria.

CONCEPTUS II.

Dulce nomen sponsæ suæ Mariæ Virginis, sponsus ejus Spiritus sanctus oleo effuso comparat, *oleum effusum nomen tuum.* Cant. 1. cap. v. 6. Cur oleo? Respondet S. Bernardus. serm. 15. in Cant. Oleum illuminat, pascit, & nutrit, oleum in vulneribus pretiosum unguentum, salutare est balsamum, in plagis & doloribus refrigerium & lenimentum, sic Samaritanus in vulnere ejus, qui incidit in latrones, & plagis

plagis acceptis, semivivus relictus fuit. *Videns eum miseriam motus est, & appropians alligavit vulnera eius, infundens oleum* Lucæ. 10. cap. Ut scilicet vulnera olei salutaris auxilio citius sanarentur. Oleo itaque comparatur dulce Mariæ nomen, quia ad ejus invocationem, ac devotam pronuntiationem, homo illuminatur luce verâ, quæ est Christus, panis vitæ nutritur, in doloribus roboratur, & à morbis etiam lethalibus Virginis intercessione liberatur; unde Richardus à S. Laurentio. Homil. de Visitat. B. V. *Nomen Mariae unguento salutaris est.* & S. Bonaventura. Psal. 132. *Ecce quam bonum, & quam jucundum, Maria! diligere nomen tuum, unguentum effusum, & aromaticum est nomen tuum, diligentibus spiritum, quoniam magna multitudo dulcedinis tue, Domine! quam præparasti diligentibus & sperantibus in te.* Verba etiam S. Bernardi recitemus. *De plenitudine ejus accipiunt universi, captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus letitiam, denique, tuum Trinitas gloriam.* Maria ergo salutare unguentum.

CONCEPTUS III.

De seipsâ dicit Virgo Dei Genitrix Ecclesiast. 24. cap. *Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedit, quasi myrrha electa dedit suavitatem odoris, & quasi storax & galbanus, & unguis & gutta, & quasi libanus non incensus vaporavit habitationem meam.* Ad quid tot aromata? insinuare voluit benedicta Virgo, apothecam Dei se esse, largiter provisam, bene ordinatam, exquisitis speciebus materialibus, & diversis generis medicamentis salutaribus accumulata, sicut enim Pharmacopolæ ex odoriferis herbis ac floribus, ex radicibus, granis, & aromatibus, ex pretiosis unionibus, coraliis, adamantibus ac margaritis, medicamenta conficiunt salutaria, sic Unio inæstimabilis coronæ divinæ, odorifera Radix Jesse, Fos & Lilium candidissimum fœcundæ Virginitatis, cælestis Viola humilitatis, sic denique suavissima charitatis Rosa, Virgo

go Maria, universalia morborum in se continet medicamenta, ut proinde de Mariâ ejusque saluberrimo nomine fermocinari non dubitaverit S. Petrus Chrysologus. serm. 144. *Hoc nomen dedit cæcis visum, auditum surdis, claudis cursum, sermonem mutis, vitam mortuis, totamq; diaboli potestatem de obsessis corporibus, virtus hujus nominis effugavit.* Quis jam æger adeò oblitus, sui que sit immemor, qui piâ Mariæ nominis invocatione, de apothecâ cœlesti medicamenta non sumat?

CONCEPTUS IV.

Mariæ oculos piscinæ in Hesebon Spiritus sanctus assimilat; *Oculi tui sicut piscina in Hesebon.* Cur piscinæ in Hesebon, & non probaticæ piscinæ in Bethsaida? Inter utramque piscinam hæc est differentia; probatica piscina in Bethsaidâ semel tantum per annum ab Angelo movebatur, & ad illam motionem non nisi unicus, qui nimirum primò advenerat, sanabatur, hinc pauperculus ille, de quo Joan. 5. cap. *Triginta octo annos habebat in infirmitate sua,* quia non erat ei homo, qui mitteret eum in piscinam, & descendente illo, semper alius ante ipsum prior descenderat: econtrâ in piscinâ Hesebon ad Angeli motionem omni tempore & momento, omnes & singuli, ab omnibus excogitabilibus morbis & infirmitatibus curabantur, rarum ægrotantibus, piscinæ in Bethsaidâ beneficium, piscina verò in Hesebon communis infirmorum salus. compassivi ergo Mariæ misericordiæ Matris oculi; piscinæ in Hesebon comparantur, quia omni excogitabili morbo & infirmitate omnibus fidelibus sanitatem optatam impetrat, & exorat, ac propriè infirmorum Salus est, etiam Turcis Auxiliatrix. Celebrem narrat historiam P. Matthias Faber de turcico quodam Bassâ, cujus litteræ, Anno 1551. scriptæ, extant Laureti in Italia hujus tenoris. *Ego Crocut Bassa (ut obligationi meæ satisfaciam, & in negotio tanti momenti memoriam successoribus relinquam) manifesto ad,*

§§. 3

quod

quod mihi in meâ personâ contigit, periculosum in pectore ap-
 ma habui, ex quo mors mihi accrevit & interitus, medicus na-
 tem de salute meâ plenè desperantibus, accessit me servus meus
 inquam, Domine, si libertatem & à captivitate liberationem
 mihi promiseris, Dei Matrem invocaturus sum, ut mediante
 ipsâ sanitatem recipias, famulo ego quamprimum libertatem
 sponendi, hâc tamen conditione, si suis & ille promissu steterit,
 mox provolutus in genua famulus, manu super signa factus re-
 gat, ut quæ verba ipse precatus fuerit, ego post ipsum recitarem;
 incipit ergo: Ego invoco auxilium sanctæ Virginis Lauretanae:
 quæ verba etiam ego post famulum recitans, tertiâ post die sani-
 tati restitutus sum, quare huic meo famulo libertatem donare,
 & scriptum hoc testimonium exhibere, nec non & beatissimæ Vir-
 gini Mariæ, Dei omnipotentis Matri, per cujus Filium sanus fa-
 ctus sum, in signum magnæ ejus astimationis, reverentia, ac
 venerationem, præsentia munera, & oblationem grato animo
 transmittere volui. Si hoc infideli & pagano facit pia Virgo,
 quid non fidei faciet Christiano? exclamare liceat cum S. Do-
 naventura. in Spec. cap. 7. O famina plena & superplena gra-
 tiâ, de cujus plenitudinis abundantia resperâ virefcit omnia
 creatura. O Salus infirmorum!

CONCEPTUS V.

Martha sollicita, ad disponendum JEsu Salvatorem,
 ut veniret in Bethaniam, ut infirmum, imò jam penitus
 mortuum fratrem ejus Lazarum resuscitaret ad vitam, sani-
 tati pristinae restitueret, Mariam sororem ejus vocat, quin &
 ipse Christus, ad resuscitationem ac restitutionem istam la-
 ninitatis, Mariam vocare voluit. *Abijt, & vocavit Mariam*
sororem suam, silentio dicens, Magister adest, & vocat te.
 Ad quid vocavit eam? ergone sine Mariâ omnipotentia
 Salvatori mortuum suscitare, infirmum sanare non
 potuit? potuit certè etiam sine Mariâ, sive sanare infir-
 mum, sive suscitare mortuum, sed non sine mysterio Me-
 riam

riam advocare complacuit, ut scirent homines, Dei auxilium velocissimè impetrandum per Mariæ suffragium, quòd graviter infirmi, imò quasi putrefacti & foetentes Lazari, invocato Mariæ patrocinio ad sanitatem infallibiliter sint restituendi. Lactèe consolatur nos S. Bernardus, ferm. 2. in Dom. 1. post Epiph. *Deus omnium bonorum plenitudinem posuit in Mariâ, ut si quid gratia, si quid salutis, si quid spei in nobis est, per eam noverimus redundare.* Confirmat Richardus de S. Viatore, cap. 26. in Cant. *Maria omnium salutem desideravit, quaesivit, & obtinuit, imò salus omnium per ipsam facta est, unde & mundi Salus dicta.*

Ad Matrem itaque Salvatoris, Salutem infirmorum unanimitè recurramus cum S. Methodio. Orat. de Purificat. B. V. *O sanctissima Deipara, quæ reliquis omnibus, & benignior es, & materno honore, ac cum Deo colloquendi libertate gloriosior, te obnixè rogamus, ut nostri jugem ac perpetuam habere memoriam velis.* Amen. Epilogus.

*Est salus agroto, pia Virgo, corpore toto,
Fit per eam sanus, qui levat ad se manus.
Nec sinit illa mori, sed compassiva dolori,
Ne patiare magis, fit medicina plagis.*



DI-